



20  
20. B. 71  
1.6

DE  
PONTII PILATI  
Romani in Judæa Præfidis  
VIRTUTIBUS PO-  
LITICIS

Oratiunculam, cum addito Car-  
mine Valedictorio

In illustri Athenæo Palæopyrgico ipsis. Cal. Aprilis  
benevolè audiendam,

*Omnibus Urbis Incolis literatis observanter &  
officiosè commendat*

M. JACOBUS DANIEL ERNESTI,  
Rector.

---

ALTENBURGI  
Typis Gothofredi Richteri, Typogr. Ducal.



**P**ontium Pilatum Tibi sistimus B. L. ex Historia acerbissimæ Passionis Domini & Servatoris nostri Jesu Christi satis quidem notum, non ita tamen, ut de ipso in præsentiarum aliquid commentari non sit operæ precium. Inquiremus

paulisper in illius *Nomen, Patriam, Officium, Vitia & Mortem.*

Nomine inclaruit in Scriptis Evangelistarum & *παραποσόλω* Pontii Pilati. *Pilatum* à pilo dici, *οιοψηφίζσι*, quot-

quot in Romanæ lingvæ cognitionem penitus sese illatebrarunt. Fuit autem pilum teste *Vegetio* (a) armorum genus

*hastile, pedum quinque & semis, ferro triangulo unciarum novem.* Proprium asserente *Barthio* (b) Romano militi telum, cujus

ope penè totum terrarum orbem domuerunt, & quam ob causam *Flacco* (c) *agmina pilis horrentia* adpellantur milites

illi. Nec soli isti qui ad subjugandum orbem emittebantur *υιοι πιτώνων*, pilo instructi proficiscebantur, sed & milites

prætoriani, quibus corporis Imperatorii tutela commissa, hoc armorum genere splendescabant, hinc *pila ad vigilantia*

*Regum somnis* apud *Statium* (d) leguntur, & sequens, licet ultimi ævi poëtæ, *Corippi* locus id probat, scribentis: (e)

*Ingens excubitus, protectorumq; phalanges,*

*Eulgebant rutilo pilis splendentibus auro.*

Pilatus itaque notat propriè hominem pilò instructū juxta illud Epigrammatographi *Bilbilitani* (f)

*Et*

(a) *Veget.*  
Lib. II c. 15.

(b) *Barth.*  
Anim. in  
Stat. Lib. IV.

(c) *Horat.*  
Lib. II. Salt.  
I. v. 13.

(d) *Stat.* Lib.  
I. Theb. v.  
147.

(e) *Coripp.*  
Lib. IV. v.  
242.

(f) *Mart.*  
Lib. X. Ep.  
48.

*Et pilata redit jamq̄, subitq̄, cohors.*

Pilatus igitur adpellatus fuit Pontius noster, vel quod ipse aliquando pilum gesserit, vel quod militibus pila gerentibus fuerit stipatus. Planè itaque est *κερνίων ὄρων καὶ βακκεσέληνος* Autor *Legendæ Aureæ*, somnians, matrem Præsidis Pilam, patrem verò Atum fuisse adpellatum, ex quorum vocabulorum combinatione Pilati vox emerferit. Alterum, quod ipsi tribuitur nomen, *Pontius* est, quo ut simul in Pilati Patriam *διὰ βραχέων* inquiramus, admonemur. A ponto dictum esse, nemo quidem facile negaverit, sed num ea propter ex Ponto oriundus? Inversione Æthiopica eandem ob causam *Pontinaum* adpellari, observavit florentissimæ memoriæ Theologus B. *Dilherrus* (g) cui opinioni *Acta Pilati*, scriptum *ἀγόμενον* & fabulis *ὑπερφιάλως* adimpletum, consentiunt, nec non ipse *Theophylactus*, Archiepiscopus *Bulgariæ*. (h) Alii vitales illum auræ primùm hausisse in urbe *Silesiaca Glogoviâ* crediderunt. Alii *Lugdunum Galliæ*, alii *Moguntiam* ipsi attribuunt. Quid quod sint, qui ex oppido *Forcheim* illum prodiisse asserant, (i) Germaniciq̄ sanguinis ipsū faciunt, quæ opinio sequentes enixa est versus:

*In Forcheim natus est de natione Pilatus  
Teutonice gentis, crucifixor Cunctipotentis.*

Ut ut autem inter tot sententiarum divortia stylum interponere decretorium haut facile sit, cum illustri tamen *Barthio* (k) illorum sententiæ pollicem premimus, qui ipsam *Romam* aut *Italiam* matrem ipsi non invident, sive si regio ista displicet, *Galliam* ut tribuant, per nos licet. (l) Neq̄ etiam illorū opinio, qui ipsū Pontium ab insula *Pontianâ*, in qua *Romanorum* auspicio legati vices sustinuerit, vocatū volunt,

A 2

volunt,

(g) Dilh. E-  
lect. Lib. I c.  
8. pag. 55.

(h) Theoph.  
Comm in  
Cap xxvi.  
Matth.

(i) Vid. M.  
Zeill. Itin.  
Germ. rom.  
II, fol. 216.  
Gerhard.  
Harm. Pass.  
fol. 60. a.

(k) Barth.  
Advers. lib.  
VII. c. 2. col.  
312.

(l) Vid. Zeill  
Itin. Gall. c.  
IV. p. 268.  
seqq.

(m) Matth. volunt, nullam planè verisimilitudinis speciem admittit.  
 xxvii. v. 11. missâ itaq; patriâ *Officium* contemplabimur. Ab Evangelistis  
 14. 15. 21. ἡγεμῶν adpellatur, (m) quæ vox juxta sententiam *Eduardi*  
 23. Luc. III. *Leighs* (n) propriè viæ duce[m] significat, & hinc postea  
 v. 1. attributa est illis, qui alios gubernant, sive sit in officio po-  
 (n) Ed. litico, sive in ecclesiastico, unde non semel pro Præside  
 Leigh. Crit. Provinciarum capitur. (o) Fuit itaq; Pilatus Guberna-  
 Sac. Tom. tor Provincialis Judææ, & quidem in ordine V. anno Chri-  
 II. fol. 141, sti xxvi. in regionem istam à Romanis missus. (p) A *Cor-*  
 a. nelio Tacito Lib. XV. Annal. vocatur *Procurator*, his verbis:  
 (o) Matth. *Autor nominis ejus Christus, qui Tiberio imperitante per procuratorem*  
 X. 18. 1. Pet. Pontium Pilatum, supplicio adfectus erat. Unde Pilatum à Chro-  
 II. 14. Luc. nologis Christianis incuriosè Præsidem vocari, putant nu-  
 II. 2. merosæ gloriæ Duumviri isti, *Isaacus Casaubonus & Caspar*  
 (p) Vid. J. *Barthius*. (q) Errorem quoque aut mendum sapere vide-  
 Micræl. tur, quando à *Lactantio* (r) Legatus Syriæ adpellatur, cum  
 Synt. H. tamen eo tempore Syriæ *Vitellius* præsideret, sub quo à Pi-  
 Eccl. p. m. lato Judæa gubernabatur, quæ tempestate illa non peculia-  
 129. ris provincia erat, sed ad Syriam pertinebat, quod adeò ve-  
 (q) Casaub. rum est, ut accusarent coram eo aliquando Pilatum Judæi,  
 Not. Nov. ut ex *Josepho* (s) liquet. Sub Præside itaq; isto Pilatum  
 Test. ad ἡγεμῶνα fuisse, rectè observavit *Desiderius Heraldus*. (t) *Vi-*  
 Luc. III. v. 1. tia quod attinet, in eo deprehendimus plurima. Si *Philoni*  
 Barth. Judæo (u) credimus, fuit Pilatus ἀκαμπής τὴν φύσιν, καὶ μετὰ  
 Adv. Lib. τὸ ἀυθάδες ἀπειλητός, ἀνθρώπος βαρύμηνος &c. *Natura in-*  
 VII. c. 2. flexibilis. *superbia intractabilis & implacabilis, injuriarum semper me-*  
 col. 312. mor. Addit, quod solitus sit sententias vendere, cuncta rapere,  
 [r] Lact. injurias inferre, innocentes punire, tormentis cruciare ac demum mor-  
 Lib. IV. te eosdem afficere, atque id genus alia patrare. Operæ qui-  
 Div. Inst. dem precium esset, hæcce Pilati πλημμελήματα curatiùs  
 c. 18. expen-  
 [s] Joseph. Lib. xviii. Ant. Jud. Cap. 5.  
 [u] Desid. Herald, ad c. xxi, Apol. Tertull. [u] Philo Lib. de Legat. ad Caj.

expendere, verum pagellarum angustia & instituti ratio  
 calamum nostrum sufflaminant. Sicco tamen pede præ-  
 terire non possumus, quod *Sacrilegus* fuerit Pilatus, siqui-  
 dem *Josepho* attestante (x) sacrum thesaurum, quem Cor-  
 ban dicebant Judæi, abreptum, inductioni aquarum ex-  
 pendit, populoque ea propter querulanti, milites fustibus  
 armatos permiscuit, qui cum multos percussissent, tumultu  
 exorto, plures conculeati & protriti fuerunt. Erat autem  
 Corban (קרבן à rad. קרב accessit, Syriacè Korbano) the-  
 saurus munerum, quæ Judæi Deo offerebant, & in gazo-  
 phylacio ecclesiastico recondebantur, ut ex Matth. xxvii.  
 6, Marc. VII. ii. patescit. (y) Sacrum istum thesaurum, in-  
 quam, sacrilegis manibus contrectare, non exhorruit Pi-  
 latus, adjecto crudelitatis suæ non vulgari specimine. An-  
 justè fecerit Præses hic, quando Luc. xiii. v. i. Galilæorum  
 quorundam sanguinem cum sacrificiis eorum miscuisse  
 scribitur, Lectori judicandum relinquimus. Videtur ex-  
 cusari hac in causa posse, quoniam Galilæi isti fuerunt de se-  
 ditiosa Judæ Galilæi secta, quæ libertatis prætextu, rejecto  
 Cæsaris imperio, omnia cædibus & sanguine adimplebat,  
 ut ex *Josepho* (z) pluribus docet illustris *Annalium* Condi-  
 tor *Baronius*. (aa) In illa autem actione Pilatum τὰ τῆς δίκης  
 σύνθεσις ἐστὶν καμμένην transfiliisse certum est, quia Samaritanos  
 quosdam, qui ab impostore quodam decepti, in montem  
 Garizim, ad sacra, ut dicebat vasa, à Mose olim ibi recon-  
 dita, tunc verò è terra eruta, contemplanda confluxerant,  
 crudeliter interfecit, & præcipuis capite plexis, reliquos dis-  
 turbavit. Quod sanguinolentia instigante commissum  
 Pilati παρόργισμα, Vitellio Syriæ Præsidi adeò displicuit, ut à  
 Samaritanis accusatum, Romam ad dicendam causam mi-

(x) Jos. de  
 Bello Jud.  
 Lib. ii. c. 8.  
 & Antiqu.  
 Lib. xviii.  
 c. 4. Adde  
 Suid. fol.  
 756. edit.  
 Basil. 1587.  
 (y) Vid.  
 Leigh. Crit.  
 Sac. Tom.  
 i. fol. 214.  
 Tirin.  
 Comm. in  
 Cap. xxvii.  
 Matth. v. 6.  
 fol. 967.  
 Quibus ad-  
 de Brodæū  
 Misc. l. iv.  
 c. 17. p. 519.  
 Calvis  
 Chronol.  
 ad A. C. 278  
 fol. 303.  
 (z) Joseph.  
 Lib. xvii.  
 Ant. c. 2.  
 (aa) Baron  
 Ann. Eccl.  
 A. C. 1. n.  
 59. fol. 78.

(bb) Joseph ferit, successore ipsi suffecto Marcello. (bb) His addimus, Ant. Lib. Pilatum præter timiditatem, quæ viri fortis & cordati officium non explevit, aliâque in condemnando Christo admilla παραληρηματα, etiam hanc ob causam non leniter culpandum esse, quod sententiæ decretoriæ executionem ad decem saltem dies non prorogaverit, cum recens ipsum Senatus consultum Tiberianum non clam esset, sic dictum, quod Tiberio Imperatore, à quo ipse Præses in Judæam est missus, factum erat ante annos duodecim, quo cautum, ut supplicia damnatorum in decimum usque diem differrentur. (cc) Sed ad contemplandum Pilati ex hac vita exitum dilabimur. Circa hunc insignem Scriptorum πολυκαταλίαν deprehendimus. Quidam enim referunt, Tiberium, ipsum antequam Pilatus Romam perveniret, è vita hac, ad dicendam apud Rhadamantum causam, advocatum fuisse, ideoque reum à successore Tiberii Cajo in exilium ejectum esse, in quo tandem interjecto biennio miserabili vitam suam catastrophe conclusisse dicitur. Nam summa actum desperatione, violentis filum vitæ manibus, sibi ipsi abruptisse ferunt, unde ab Eusebio (dd) Θωνευσίης εαυτῶ, και Τημωρεῶς αὐτόχειρ appellatur. Hocque ipsum Viennæ in Gallia accidisse, Ado in Chronicis refert apud Baronium. (ee) Ab hoc plane discrepat Suidæ relatio, qui (ff) capite ab Imperatore diminutum fuisse refert, scribens : ἀγανακτήσας ἐν ὀνέρων, πιλᾶτον ἐν τῷ δεσμοτηρίῳ ἐνεβαλεν. Et paulo post : τὸ πιλᾶτον τὴν κεφαλὴν ἀπέτεμεν, ὡς Ἰηλυκῆθου ἀνδρωπον ἀνελεῖν το λυήσαντος, διχα Φασιλικῆς προσταξῆος. Alii volunt, ipsum Caligulæ jussu in Tiberim projectum, sed propter Diabolicos tumultus iterum extractum, & in Rhodanum deportatum, tandem Viennæ ad pulsatum esse. (gg) Alii in Galliam re- legatum & tandem in Rhodano submersum statuunt. Quæ sen-

[cc] Vid.  
Dion. Hist.  
Rom. Lib.  
LXXV, & Sueton.  
in Tib.  
c. LXXV.

(dd) Euseb.  
I. II, c. 7. H.  
E, fol. 19.  
(ee) Baron.  
A. C. XLI.  
n. 20, fol. 321

(ff) Suid. in  
Voce Nero,

[gg] M. Crus  
Annal. Suev.  
P. I. Lib. 3.  
fol. 66.

sententiæ, quamvis de modo exitus discrepent, in eo tamen consentiunt, Pilatum placidâ quadam *διχοτομία* nequamquam solutum, sed dignam meritis mortem sortitum fuisse. De *Pilati Lacu*, qui est in agro Lucernatum, in quem *πυμύια* ejus cadaver tandem conjectum asserunt, & quem immisso lapide horridas ciere tempestates ferunt, plurima ex *Zeilero* (hh) *Joach. Vadiano*. (ii) *Herm. Lignarido* (kk) aliisque annectere possemus, sed pagellarum angustia ulteriolem commentationem respuit. Nolumus quoque excutere, quid de epistola, quam de Christo ad Tiberium Pilatus scripsisse dicitur, sentiendum sit. (ll) Nec an veritati collactum, quod *Nicephorus* (mm) refert, Pilatum de nece Christi, à *Maria Magdalenâ* Romæ judicio postulatam (nn) aliaque plura huc spectantia. Descendendum potius est ad id, cujus causa potissimum calamum arripuimus. Deprehendimus quidem Pilatum multis iisque gravissimis collutatum fuisse vitiis, sed quæ non omne virtutum excluderunt consortium. Ab omnibus quidem, & jure suo, tanquam injustissimus proclamatur *Judex*. sed ut in magnis ingenis plerumque peculiaris quædam vitiis cum virtutibus *συνμυξίς* deprehenditur, (oo) sic & in *Pontio* aliqui virtutum conspecti fuerunt igniculi, nec totus *κακῶν ὁμαρτόσ* extitit, ut de *Cajo Imp.* *Suidas* alicubi loquitur. Hoc ipsum ex *S. Evangelistarum* Scriptis pro ingenii viribus probandum sibi sum sit optimæ spei *Juvenis*

JOHANNES  
CHRISTIANUS *Chrlch* / *Altenb.* Viri Amplissimi &  
Consultissimi *Dn. JOHANN MARTINI Chrlchs* /  
*Reip.* hujus Consulis spectatissimi, filius haud degener. Is  
abitu ad almam adornans *Salanam*, prius discedere noluit,  
quàm *Oratione publica* vale *Patronis, Præceptoribus &*

(hh) *Zeil.*  
*Itin. Germ.*  
*P. II. fol. 356*  
(ii) *Joach.*  
*Vadian.*  
*Comm. in*  
*Pomp. Mel.*  
*Lib. I. fol. 31.*  
(kk) *Herm.*  
*Lignar. Ob-*  
*lect. Acad.*  
*Cap. II. p.*  
*23.*  
(ll) *Vid. Cas-*  
*saub. Exer-*  
*cit. XVI. pag.*  
*675. cont.*  
*Baron.*  
(mm) *Ni-*  
*ceph. Lib.*  
*II. c. 10.*  
(nn) *Vid.*  
*Baron. Ann.*  
*XLI. n. 20. f.*  
*321. Spon-*  
*dan. A. C. 38.*  
*n. 10. fol. 50.*  
[oo] *Piccart*  
*Observ.*  
*Hist. Polit.*  
*Dec. I. c. 8.*  
*p. 51.*

Con-





Condiscipulis suis dixisset. Circumspicienti de Orationis  
materia, ipsum tempus *Virtutes Pilati Politicas* subministra-  
vit, quibus enarratis Heroico Carmine *λογον ευχαριστικόν* mo-  
re consveto subjicet. Hoc finito, versibus abeuntem pro-  
pempticis prosequuntur Condiscipulorum nonnulli, & quidē  
GOTHOFRED. BENICH, Vandalo-Leub. Hebraicis,  
JOH. HEINICKE, Treb. & CHRISTOPH. BÖRNI-  
GEN, Alt. Græcis, DAVID Meißner/Born. JOH. PHI-  
LIPPUS Ehrlich / Alt. JOH. CHRISTIAN. Kirsten/  
Drockenb. & JOH. FRID. Zorn/Penic. Latinis Tan-  
demque ELIAS Kretschmar / & JOH. Schmalz/Alten-  
burgenses, Germanicis. Carminibus hisce recitatis, pa-  
ternæ *ευλογίας* viatico instructus, à nobis dimittetur, mu-  
steus hic Academiae Candidatus. Ut igitur sepositis,  
quantum licuerit, negotiis gravioribus, ad hanc solennita-  
tem scholasticam, cras post auditam I. pomeridianam fre-  
quentes ad locum consvetum confluere velint omnes illi,  
qui in amplissima hac urbe nostrâ, teneriori Musas amore  
complectuntur. Laconicis quidem verbis, sed prolixiori  
affectu oramus, insimul promittentes, Amplissimum Vale  
dicturi Parentem, nosque ipsos quam primum occasio ido-  
nea illuxerit, paratissimum gratificandi studium, & quæ-  
cunque poterunt à nobis proficisci *αυοιβαί*, omnibus Mu-  
sarum Fautoribus tanto luculentius esse probatus

ros, PP. Altenb. pridie Cal. April.

M DC LXXX.



Th: 780

ULB Halle 3  
002 500 698



Sb.

VD 17

n. C.





Et  
Ho  
Sec  
Vi  
Ipl  
Po  
Ve  
Co  
An  
Hu  
M  
Tu  
In  
Da  
H  
Ju



extremis  
amaleon?  
nequam.  
as  
a  
mico  
congratulatus  
feci  
PRÆSES.

